

X 1003354



49

Q. F. F. Q. S.

HISTORIA ANTIQVA
LVBECENSIS

Quam

PRÆSIDÈ

CASPARE SAGITTARIO

HIST. P. P. O.

Publicæ disquisitioni exhibeo

JACOBVS A MELLEN

LVBECENSIS.


Anno cl^o Is CLXXVII.

die XII. Maii.



J E N A.

TYPIS GOLNERIANIS.



x 5.

VIRO

PLVRIMVM. REVERENDO. AMPLISSIMO
EXCELLENTISSIMO

DN. BERNHARDO
KRECHTINGIO

PHILOS. MAGISTRO. LVBECAE
AD. AED. B. VIRGINIS. PASTORI
MERENTISSIMO

MAECENATI. PATRONO. ET. COGNATO
PARENTIS. LOCO

AETATEM. DEVENERANDO.



voluntate, licet tamen bisve mentis tollerantiam
mo parum est. T V O licet opponere affectui, indui-
to regere favori, xcrispave T I B I obligatum gratis
santum tollat. Hanc in rem benevola mente suscipere
pud mitorum, & ultionum amore T V O non debi-
gnari laage



I pietatis, debitæ observantiæ,
ac grati motus animi mente
mea plane non exesse jube-
am, primus hic ingenii mei
fœtus præterquam TIBI
inscribi meruit nemini. La-
buntur flumina, fugaces præ-
tereunt aquæ, nec ad primam
sui originem ingrata rela-
buntur. Aliud his, quos
nobilior divinæ auræ parti-
cula imbuit, aliud humanæ convenit spirare animæ.
Cum hoc qualicunqve schediasmate ad T E revertor, cui
ortum debeo: non quidem vitæ, sed ut cum Pellæo judi-
cem juvene, vita majorem. TVVM est, quantum his mi-
care vides paginis, sedula TVA cura hæc tenui nostro in-
geniolo recondidit, quæ astis depromere annis laboravi.
TVVS ego, imo totus TVVS sum, quem a prima aluisti
providus infantia, quem nec dum salubri studiorum con-
silio, uberrimisqve ea promovendi destituiisti subsidiis. Quæ
cum tanta TIBI me obstringant beneficia, vix mihi cala-
mo, nullatenus factis referenda; omnem hominis grati,
quid? quod filii exuissem notam, ni aliquo, fateor exili, si-
gno animum pro virili declararem T V I observantissi-
mum.

mum. En igitur tenues pinguis musæ primitias **TIBI**
 maxime præ ceteris sacras. Offero **ANTIQUAM** com-
 munis **TIBI** mihiqve **PATRIAE HISTORIAM**
TVO nomini inscriptam. Hoc levidente munus, hanc
 volam aquæ, sinceræ tamen piæqve mentis tesseram sum-
 mo qui in me est **TVO** liceat opponere affectui, infini-
 to regerere favori, æternisqve **TIBI** obligatum gratiis
 animum testari. Hanc in rem benevola fronte suscipe
 quod mitto donum, & ulteriori amore **TVO** non dedi-
 gnari satage

Venerandi **TVI** Nominis

*Observantissimam ac Devotum
Cultores*

JACOBVM A MELLEN.



PRÆFATIO.

LUBECÆ patriæ historiam attentius perlu-
stranti haut exigui in eadem offeruntur scrupu-
li. In ipso hic titubamus limine, primas-
que origines ferme ignoramus. Felices eo no-
mine sunt urbes aliæ, quibus solers ortus &
incrementi obtigit scrutator. Beatæ ter & amplius, quæ
plenum a primis incunabulis ad ævum præsens gestorum
nactæ scriptorem, non magis de ipso, quam de splendide
factis triumphant. Vices tuas, dulcissima genitrix Lube-
ca, doleo, cujus prima, tam Cimbrica (si quæ fuerunt)
quam Slavica Cimmeriis non modo damnantur tenebris;
sed nondum rerum tuarum pace belloque gestarum ju-
stum accepisti præconem. Bene est tamen, quod non in-
terierit Helmoldi Bosoviensis Presbyteri ab Arnol-
do Abate Lubecensi continuata Slavorum historia. Unicum
scilicet hoc est præsidium, ad quod antiqua Lubecensia
rimanti tanquam ad sacram ancoram confugiendum. Ce-
teri, qui vel sequuntur, vel exscribunt Helmoldum (quo-
rum sunt non pauci, & in his Albertus Staden-
sis, Hermanus Lerbecius, Chronicon Slavorum Anonymi, Albertus
Krantzius) pauca afferunt antiquitatum primarum; ex
quibus aliquando tamen nonnihil ad summam rei perti-
nens licuerit exsculpere. Fecit id imprimis Vir reconditæ
doctrinæ, summique nominis, ac de patria nostra infini-
tis modis meritis, Henricus Bangertus, in limatissimis ad
Helmoldum annotationibus, suo merito ab omnibus, qui
has intelligunt literas, æstimatis, ac æternum æstimandis.
Atque huic quidem Atlantisi ocium majus, ac diuturni-
or

A

or

or suppeditasset vita, dubium non est, quin plura patriæ
historiæ, eademque a quisquiliis vulgarium chronicogra-
phorum repurgata publico dedisset. Post tantum ducem
& ipse aliquid in Lubecensi historia tentare, remque ab o-
vo, hoc est, ab ultimis, quatenus haberi possunt, initiis re-
petere decrevi: non, quasi præsumam mihi in adolescenti
hac ætate vel Bangertinam æquare gloriam, vel eum me
venditare, cui demum ad illustrandam Lubecam lampas
tradita sit: sed partim, ut qualescunque ingenioli pericli-
tarer vires, partim, ne occasio laberetur colligendi dige-
rendique ad propositum facientia. Ex quo enim in con-
victum & contubernium CASPARIS SAGITTARII
Historiarum in inclyta Salana nostra Professoris clarissimi
recepto laudati Viri patuit supellex libraria, ejus beneficio,
hoc quicquid est, de nomine, origine, ac fortuna prima
Lubecensi, disertatiunculæ concinnare, ac publicæ bene-
volentium censuræ exponere volui. Qui jactus juveni-
lis alexæ si non omnino cesserit male, operam dabo sedulam,
ut & reliqua Lubecensis historiæ cum tempore sequantur:
de quo quidem mihi non opinor desperandum, si ad im-
pressos codices, mss. quidam cumulus accesserit, Ita
vale, Lector, fave, & studiis laborique meo
prosperos successus apprecare.





HISTORIAE ANTIQVAE LVBECENSIS

CAPVT I.

DE

LVBECAE

NOMINE ORIGINIBVS AC FORTVNA

PRIMA.

SVMMARIVM.

I. Linoamenta Historiae Lubecensis. II. Situs Lubecae. III. Nomen. IV. V. VI. Etyma rejicula. VII. Nostra opinio & nova conjectura. VIII. Primi conditores Slavi. IX. Vandalorum historia. X. Venedorum adventus in has terras. XI. An Cimbri condiderint urbem in Bucu. XII. Dubitamus. XIII. An a primis originibus Lubeca in Bucu exstiterit ad Henricum Godescalci filium usque. An Cruco Lubecam condiderit. XIV. Bangerti opinio. XV. Discrepat nostra. XVI. Ejusdem confirmatio. XVII. Poloni falso conditores Lubecae habiti. XVIII. Godescalcus Princeps in Lubeca Svartoviana fundat caenobia. XIX. Rugiani eam obsidentes per Henricum repulsi. XX. Vicelinus sacerdos ad Henricum Lubecam venit, & templum accipit. Lerbecii chronologia notatur. XXI. Hoc templum nec in Bucu situm, neque templum Johannis in arena fuit, sed in Svartoviana civitate. XXII. Sub Zventepoldo Henrici filio Rugiani Lubecam demoliuntur. XXIII. Race denno

A 2

peni-

penitus eam evertit. XXIV. Adolphi II. Comitis historia. Is ereptam sibi Wagriam per Henricum Leonem recipit. XXV. Adolphus reparata Segeberga arce, per Henricum de Badewied exusta, Lubecam in Bucu restaurat.

§. I.

Cum æque ad religionem pertineat patriæ facta literis illustrare, merito Lubecam, natale solum, ab incunabulis revocare aggredimur: Cujus primos conditores, incolas, varios casus, cineres, mitiora fata, incrementa revolvemus. Propositum divini auspiciamur invocatione auxilii.

§. II. Sita est *Lubeca* in trans-Albina (ita mihi Jenæ degenti loquendum) *Vandalia*, ejusque illa parte, quæ *Wagria* appellari consuevit, in confinio *Polabingorum* (*Polarbos* alii dicunt) *Slavania*, cujus *Racisburg* civitatem asserit Adamus Bremensis lib. II. cap. XI. inter *Travam*, seu *Trabenam* fluvium, Ptolemæo Alexandrino *Chalusi* nomine venientem; assentiente Philippo Cluverio *Germaniæ Antiquæ* lib. III. cap. XXVII. & *Geographiæ* lib. III. cap. V. impugnante tamen Caspare Dankwerth, part. III. Operis germanici Chorographiam *Hollaticam* complexi, cap. V. qui exstagnans prope villam *Bluncken*, Oldesloam præterlapsus, IV. ab urbe *Lubeca* milliaribus portu capaci satis & nobili in *Codanum* sinum (quem veteres ab accolis barbaris *Barbarum* sive *Scythicum* vocabant) se exonerat; & inter *Wakenisam* seu *Wokennam* amnem, lacus *Raceburgensis* sinum, ad urbis mænia suum sortientem terminum. Locus ille olim dictus *Bucu*, & ob utrumque latus flumine rigatum habitus pro *insula*. Ita enim *Helmoldus Chron. Slavor.* lib. I. cap. LVII. *Comes Adolfus venit ad locum, qui dicitur Bucu, invenitque ibi vallum urbis desolate - - & insulam amplissimam gemino flumine cinctam - - coepit illic edificare civitatem.*

§. III. Nomen civitatis pro ætate auctorum eorumque genio loquendi multum variat. Adamo Bremensi lib. III. cap. XXII. *Liubice* appellatur, ubi de institutis a *Godescalco* Prin-

Principe cœnobiis ad illorum provocat testimonia, qui ipsa
in *Liubice*, *Aldinburg*, *Leontio*, & *Racisburg*, aliisque civitatibus
viderint. Quæ verba post *Helmoldum* more solito repetens
Albertus Stadenſis ad annum cło LVIII. *Liubice* in *Lubice*
corripit. *Adami Bremensis* margini *Vir Clarissimus*, *Jo-*
achimus Johannes Maderus aliam adiecit lectionem, nem-
pe *Lybichi*. *Anonymus* quoque annotationum *M. Adamo*
a *Madero* additarum auctor ad XI. libri II. caput ait: *Al-*
bere est civitas Luitbeke. Vbi per *Luitbeke* nostram denotari
Lubecam ex ante dictis de *Travena* fluvio patet. Sed no-
minis *Albere* mysterio quid intelligat, non liquet facile, ni-
si locum corruptum velimus affirmare. *Luybeg* eam vocat
Chronici Pegaviensis auctor. Quamplurimum *Lubica* &
Lubeke, ut *Hermann* de *Lerbeke* in *Chronico Schowen-*
burgensi, *Anonymo Chronici Slavici* auctori, & *Alberto*
Krantzio audit. Quæ proxime ad hodierna urbis nomina,
Latinum *Lubeca* & Germanicum *Lübeck* accedere videmus.
E dictis prioris incisi de *Bucu* etiam apparet etymologia
vocis *Bucovecie*, quæ *Martinus Cromerus* de *Rebus Polono-*
rum lib. II. patriam nostram designat.

§. IV. Circa etymon *Lubeca* multum curiosi habent,
quod eos torqueat. Vulgatioꝛ eo redit opinio, *Lübeck* di-
ctam quasi *lob. Eck* ac idem esse, quod *angulus laudis*: lo-
cum scilicet amœni situs commoditate omni laude dignis-
simum. Vbiqve afferuntur hanc in rem versiculi *Conra-*
di Celtis, quos placet repetere:

Quæ longe reliquas superat, quas vidimus urbes,

Lubeca est Codani fama decusque sinus.

Angulus hæc laudis dicta est urbs nomine prisco,

Nulla quod ad Codanum sit mage clara sinum.

Angulum in hunc laudis fertur Travenna, patentem

Sicque facit portum, multaque vela videt.

Verum, licet Germanicum illud *lob. Eck* *Lubeca* per im-
mutationem unius literæ; eo nequaquam tamen priscis
vocalibus *Liubice* & *Lybichi* *Bremensis*, vel *Pegaviensis*
monachi Luybeg, aliisque respondet. Neque veri speciem

habere iudico, linguam Slavicam a nostra multum diver-
sam, & Polonicæ Slavonicæque propiorem iisdem verbis,
quæis Germani *laudem angulumq;* expressisse.

§. V. Sunt, qui oppidulo primum condito a pesca-
torum ibi agentium magistro *Luba* nomen adhæsisse ve-
lint. Sed ut taceam in fabula non convenire scriptorculis,
si vel maxime piscatorum tuguria primas Lubecæ veteri
dederint origines, quis credat barbara hac tempestate tam
solicitos de piscatorum principilo fuisse, ut ejusdem nomen
urbi & annalibus dicaverint?

§. VI. Nova videtur Nicolai Mareschalci, Meklen-
burgensium Duci olim a consiliis, Clar. Henrico Banger-
to Notis ad Helmoldum laudati, sententia: qui Annali-
um lib. II. cap. XXXVIII. a *Godscalco Herulorum sive Obotrito-
rum Rege instauratam* scribit *Lubecam, & Bute nuncupatam, seu
a Bute filio, seu amasio Veneris Bute. At Henricum Butes Ger-
manum Coloniam Luconiorum magnam dixisse, vulgus Lubecum,
lingua Vandalorum gentili, quod amiculum significat. At enim
videntur & hæc fabulam de piscatore sapere: cujus, ob
præstitum civitati, incertum an condendo, an servando,
beneficium, nomen urbi; amiculum vero, ex quo reliqui
conflarunt cingulum, in rei memoriam fano cesisse, nu-
gantur.*

§. VII. Nostra hæc est opinio, Lubecæ vetus nomen,
quod sive *Liubice, Lybichi*, sive quodquam fuit aliud; aut
etiam, ut fit in vulgus, unum nomen diverse pronun-
ciatum, natales debere linguæ Slavicæ. Ex hac gente
si qui nobis eo tempore regulum quendam *Liubam*, vel
gemino nomine insignem haberent demonstrare, esset for-
san in quo quiesceremus. Nunc cum alii in aliis luserint,
& mihi indulgendum, si *Liubicam* veterem a *Lyubka* (*despon-
satam* id exponunt VVendicæ linguæ callentes) repetendo,
patriam meam fortunæ mari terraque florentissimæ, vir-
tutisque supra quam dici potest excellenti dicatam atque
desponsatam dixerò.

§. VIII. Ex quo statim prono fluit alveo, me alios
primæ

primæ urbi conditores, præterquam Slavos, non agnosce-
cere. Quæ gens quomodo in has oras pervenerit, creverit,
exceserit, brevibus discutiendum.

§. IX. V Vandali seu Vandali, Græcis Βάνδοιλοι, a Van-
dalo Svevi Principis filio quos dictos ajunt, Germani in-
digenæ, ab ultimis etiam Christum natum supergressis tem-
poribus mare Balticum longe lateque accoluisse, veterum
feruntur monumentis. Hæc V Vandalorum gens, impa-
tiens quietis, manu strenua, cui pigrum & iners visum su-
dore acquirere, quod possis sanguine parare, suis egressa
limitibus, novas petens regiones, alio sub sole incalescere
in pretio ponebat. Ipsa caput orbis, sed tunc nutans, Ro-
ma, ipsa & magni Constantini Roma nova, quidni mino-
res aliæ urbes & provinciæ? V Vandalos Gothis junctos for-
midabant, quas irruptionibus non parum afflixerunt. Sed
dum avito more, conjuges liberosque, carissima bonorum
pignora secum ducerent, ipsorum vacuas, aut imbellibus
relictas regiones ab ultima Russia, Livonia, terrisque fi-
nitimis profecti occuparunt Venedi.

§. X. Hi Venedi, Vinidi, V Vinithi, nobis die Wen-
den/ Slavi item & Slavini appellati, ut V Vandalorum terras,
ita nomen nacti sunt: adeo ut sæpissime V Vandali Venedi-
que confundantur: cum tamen quantum Germanis cum
Sarmatis, tantum illis intercedat discriminis. Quinto illos
seculo, imperante Valentiniano III. provincias has inva-
sisse, conjicit notis ad Helmoldum Vir præclarissimus Hen-
ricus Bangertus. Ibi Venedos, Saxonibus, ab Henrico Leo-
ne potissimum, & Alberto Vrso adductis, cedere coactos,
totamque V Vandalorum & Venedorum historiam benevo-
lus Lector fusius expositam reperiet. Quæ de in præsentem
pluribus dicendo actum ageremus.

§. XI. Slavis itaque istis Lubecam debere originem
est in propatulo: nisi quis cum Krantzio affirmare velit,
jam olim a Cimbro quodam Duce, commodo loci situ alle-
cto, sed prospero minus successu, jacta novæ urbis funda-
menta. Verba quæ recenseantur digna sunt, ex Vandalia
lib.

lib. III. c. XVIII. *Crito - imperium in suis gerebat.* Hic vetera
Lubica ad Zwartovv posthabita, paulo superius ad ripam ejusdem
fluminis Travenæ nova cepit moliri fundamenta novæ urbis, longe
commodiori loco inter lacum Wokenisse & eundem fluvium, ut utroque
ab latere esset irrigua civitas. Cujus loci opportunitatem
jam ab antiqua memoria Cimbrum conspicati, quidam ex ejus gentis
ducibus ibi jecit novæ urbis fundamenta. Sed neque Cimber, neque
Vandalus (Crito) multum sua molitione profecerunt, dilabentibus
brevis & evanescentibus initiis ceptæ urbis, per bella tonantia
aut alias aversiones. Servatum est hoc decus Adolpho. Idem de
Cimbrico duce tangit Vandalicæ lib. IV. cap. I. Ulterius etiam
progressus Hartmannus Schedelius in Norib. Chronico
nomen duci *Vicbodo* seu *Vicboldo* fuisse affirmat. *Lubeca*, inquit,
Saxonie urbs illustris ac Cesarea civitas a *Vicbodo* Cimbrorum
duce ad Cimbricam *Chersoneson* quondam edificata in eo loco,
quem *Venedes*, qui & *Vandali*, adhuc Saxonie partem tenentes
Buccoviam dixerunt. Nec aliter *Franciscus Irenicus* in *Exegetici*
Germaniæ lib. XII. *Lubecum*, ait, est urbs tribus regnis
contraria, secundum *Aeneam* a *Vicboldo* duce condita.

§. XII. Quæ quidem opinio licet non contemnenda
prorsus, haut suppetit tamen, quo confirmemus, in
tanta Cimbricæ veteris historiæ caligine.

§. XIII. Ad Slavos igitur Lubecæ conditores
progressis plures injiciuntur scrupuli ex translatione, quam
volunt, urbis emergentes. *Adolphum* Comitem in loco
Bucu condidisse urbem, atque eandem esse præsentem
Lubecam, certum est, ac infra declarabimus. Sed & eo
loci jam olim a *Crucone* (aliis *Trutone*, *Kittone*, *Critone*)
tyranno ædificatam urbem asserit *Helmoldus* l. I. cap. LVII.
Quia autem jam diu ante *Cruconem*, seu *Critonem*, rerum
Lubecæ gestarum fit mentio, aut *Cruconem* non construxisse
urbem, aut aliam fuisse *Lubecam*, existimandum est.
Communis jam & certa fert opinio, ad annum *Swartovv*
Lubecam quondam stetisse: sed quando & ibi condita, &
quamdiu duraverit, in incerto est. *Bangertus* ὁ πάλιν con-
jicit, demum *Henricum* occiso *Critoni* successorem deser-
ta

ta veteri Lubeca, ad fluvium Svartovv transtulisse urbem, quæ jam pridem steterat in Bucu. At sic omnino redit illa difficultas, tum Cruconem pro conditore veteris Bucovianæ Lubecæ non habendum, sed ad antiquiorem potius alium abeundum: quod tamen propter Helmoldum auctorem non ausim facere. Duo igitur restant, quæ dicamus, nempe, vel veteri Lubecæ eandem fuisse, quæ nunc est, sedem, eamque de integro non condidisse, sed jam dudum conditam fortassis arce auxisse Cruconem; vel oppidum ad Svartovv longe fuisse antiquius; Cruconem in Bucu urbem cœpisse; ac cuncta, quæ Cl. Bangertus in Bucoviana Lubeca credit gesta, ad Lubecam Svartovianam pertinere.

§. XIV. Priorem fovet celeberrimus Bangertus sententiam, Lubecam videlicet primo omnium & vel decimo seculo, in Bucu Travam V Vakenisamque inter ædificatam, ad Henrici Godescalci filii usque tempora perstitisse, & ab hoc ad annum Svartovv demum translata. Atque id confirmat membranacei Chronici Lubecensis testimonio, ex quo repetere juvat sequentia: *By des Keiser Hinriks Tuden/de de veerde swas an den Namen/ do swart begrepen unde ghebusvet de eerlike Stadt Lubeke/ de in deseme Jare lach by der Swartovv/ dat noch olde Lubeke heet. Boren hadde ze gheleghen tuschen der Trauen unde der Bokenisse/ dar ze noch licht. God beware ze an ewigen daghen. Wē ze dar swart erst ghebusvet/ edder swu langhe ze dar lag/ des en beschriuen myne Coroniken. Mer an ener Historien hebbe ik ghelesen/ dat ze in meniger Jeghen hefft ghelegen/ unde is ouersettet van der enen jeghene to der andern. Erst swart se begrepen in der Stede dar ze noch licht. Darna wort se ouersettet by der Swartovve/ dat noch olden Lubeke heet. Darna wort se up der ersten Stede ghebusvet.* Præterea Helmoldum, qui *Cruconem ædificasse*

urbem in Bucu asserit, de juncta tantummodo urbi, jam du-
1066. dum exstructæ, per Cruconem circa annum clō LXVI. arce
explicat. Vltcrius urget dictum Helmoldi de veteri Lubeke,
(in Svartovv scilicet) *quam Henricus princeps (Godescalci
filius) olim constituerat, & quæ novæ ab Adolpho Comite in
Bucu urbi conditæ nomen dederit.*

§. XV. At enim ignoscant mihi manes Viri sum-
mi, nec unquam digne satis collaudandi, si qua hac de via
declinaverim, & multis retro seculis (quo conditore re-
linquam in medio) coeptam esse in Bucu, sive arcem solam,
sive cum arce quaecumque oppidulum, sed per tempesta-
tes bellicas illico vel fractum, vel eversum: quicquid hinc
Lubece fuerit, unice ad rivum Svartovv viguisse; Cruco-
nis in Bucu inchoata itidem non ex voto successisse; ac
tandem diruta Svartoviana civitate, Adolphum rudera
Cruconiani moliminis ad urbem in hoc ævum (faxit Deus
sempiternum!) florentem revocasse, statuam.

§. XVI. Atque sic ut sentiam, imprimis Krantziū
auctoritate moveor, qui Critonem ait Lubicam novam in eo quo
1104. nunc manet loco (Bucu) communiuisse, anno Christi IV. post MC.
*Sed tamen veterem tanquam munitiorem in loco Svartovv non
omississe. Metropol. lib. VI. cap. IV. Vbi disertis Svartovia-
nam urbem verbis exprimit jam Cruconis temporibus flo-
ruisse, quam tamen Cl. Bangertus occiso Crucone ab Hen-
rico demum coeptam asserit. Krantzio id non excidisset,
credo, nisi antiquiorem quendam ejus sententiæ certum
habuisset ducem: cum alias in his talibus plerumque vete-
res longis soleat describere lineis. Ante quoque laudato
Vandalicæ libro IV. cap. I. dilucidius verba Helmoldi de stru-
ctura Critonis seu Cruconis Krantzius explicat: Cernens (de
Adolpho ipsi sermo est) quam optime Cimbrorum olim dux, &
deinde Crito Vandalus, inter lacum & flumen in colle urbis moenia
inchoassent sed tempestatibus bellorum impliciti ab opere destitissent*

tertius

tertius ipse futura civitatis fundamenta cœpit jacere. Qui ergo ista Helmoldi non de tentata a Crucone ibi nova urbe, sed de adjecta oppido veteri (ibidem, ut putat, per sat multum temporis jam florenti) arce, nescio Bangertus quam bene interpretetur. In has nostras etiam partes laudata MS. Chronici verba descendere autumo. Quod vero Helmoldus dicat, *Henricum veterem Lubecam (Svartovianam) constituisse,* de incrementis potius Henrico debitis, (quod & Krantzius vocabulo *firmasse* innuit) quam de primævis originibus; eoqve quicquid de veteri Lubeca traditur, de Svartoviana hac accipiendum, judico.

§. XVII. In transcurso & id monendum censeo, falso gloriari Polonos de condita a Regibus suis Lubeca. Quam in rem diserte sic scribere ausus est Martinus Cromerus Rerum Polonicarum lib. II. *Alias præterea complures arces & oppida iudem Duces (Vislaus, Sobeslaus, Vissimirus, &c.) posteriqve eorum edificarunt, & vernaculis suis vocabulis appellarunt. De quibus sunt Brema - Luna - Bucovecia, quæ a Germanis Lubeca vocatur (tametsi Lubecæ quoque nomen Slavicam etymologiam redolet.)* Quem reliqui, quorum nonnullos Cl. Bangertus produxit, sequuntur. Nec est tamen cur in his refellendis multum occupemur, quod jam tum Bangertus noster id graviter ac erudite fecerit. Paucis hic dicendum: e Slavicis Polonam esse gentem, nec tamen Polonos cum his V Vagriæ Slavis confundendos.

§. XVIII. Sed ad id, unde digressi, revertamur. Primam hujus Lubecæ mentionem facit M. Adamus, Bremensis Ecclesiæ Canonicus lib. III. cap. XXII. de cœnobis inibi a Godescalco Slavorum Principe, Vtonis filio, ex infestissimo Christiani nominis hoste converso, & ad martyrium usque fidei, fundatis: cujus verba, Helmoldo, & Alberto Stadenfi, ut solent, repetita hæc sunt. *Tunc etiam (sub Godescalco principe) per singulas urbes cœnobia fiebant*

sanctorum virorum canonice viventium. Item monachorum atque sanctimonialium, sicut hii testantur, qui in Liubice, Aldinburg, Leontio, Racisburg, & in aliis civitatibus singulas (ita & Helmoldus: forte singula, uti Albertus Stadenſis) viderunt. Et sane aut ego fallor, aut ipse sibi contrariatur Amplissimus Bangerſtus, qui dum in locum monasterii a Godescalco conditi inquiri, semel id Svartovianæ (pag. LXI.) alibi (pag. CXXXVII.) Lubecæ (prout ipse distinguit) Bucovianæ tribuit. Contigit hoc, pro Georgii Fabricii, non incelebris, sed non æque semper accurati superiori ævo Saxoniarum rerum scriptoris computo, anno c I o XXXV. Alberti Stadenſis vero c I o LVIII.

1035.

1058.

§. XIX. Martyrii coronam cum tulisset Godescalco, filiis Buthue & Henrico, legitimis heredibus extrusis, per tumultuantium Slavorum vota succedit Cruco Grini filius. Quem postquam Henricus e Dania, quo confugerat, redux, instigante ipsius Cruconis conjugis Slavina, fraude sustulisset, & subjugatos, qui Cruconi paruerant, populos Christianismo initiari laboraret, *vehementer indignati sunt* (ut Helmoldus lib. I. C. XXXIV. loquitur,) *quod surrexisset inter eos Princeps, qui dicat subjacendum Christianis legibus, & tributa Principibus solvenda, conveneruntque omnes, una voluntate & eadem sententia, ut pugnarent adversum Henricum.* Sed his feliciter retusis, nova moliantur Rani sive Rugiani, qui per alveum Travæ subvecti, Lubecam tum unicam adhuc religionis Christianæ in tota V Vagria hospitem, in qua Henricus morabatur, navibus cingunt. Ille vero rem cum militiæ suæ præfecto probe pensatam astu aggressus, magnam eorum ad castrum Lubecense stragem edidit.

§. XX. His peractis Henricum, sumpta de Rugianis ob cædem filii poena, Lubecæ versantem Vicelinus sacerdos, post Aldenburghensis Episcopus, convenit, *rogans sibi dari facultatem predicandi verbum Dei intra terminos ditionis ejus.* Cujus, ut & sociorum Rudolphi Ludolphi que annuens petitis, Ecclesiam ipsis concessit Lubecensem, annum
circa

circa c l o CXXVI. quem clare signat Helmoldus, dum 1126.
hæc dati Lothario sceptri Germanici tempore contigisse
scribit lib. I. cap. XLI. Mirum, qui Lerbecius in Chronico
Schovvenburgensi ad an. c l o LIV. dicat, *In diebus illis VVis-*
celinum (ita Vicelinum effert) *ad regem Slavorum Lubeke venis-*
se: cum hi dies ultra LXX. annos suo complectantur ambitu.

§. XXI. Hoc Lubecense sive templum seu sacellum,
nescio qui extra Svartovianam civitatem ad locum Bucu
referre malit Cl. Bangertus, Korneri dictis (quæ aliter ta-
men, & in nostras haud difficile partes flecti poterunt) pel-
lectus: simulque templum illud, cuius non diu est quod
comparuerint rudera, Cathedrali Lubecensi proximum, &
Johannis in monte seu arena vulgo dictum, fuisse statuat.
Quod tamen Crantzius Metropol. lib. VI. cap. XXXVIII.
imo ipse etiam Dn. Bangertus alibi (pag. videlicet CCXIV.)
Geroldo episcopo, *Vicelini successori* suas debere asserunt
origines.

§. XXII. Mortuo demum Henrico, filii ejus Zventepoldus (*Zventeploch* Helmoldo) & Canutus intestinis sese
conterebant dissensionibus: donec cæso ad Lütkenburgum
(*Liitlinborg*, Helm.) Canuto, dominium soli Zventepol-
do cederet. Quo imperante, iterum in Lubecam irrum-
pentes Rugiani, & *urbem vacuam navibus offendentes* (Hel-
moldo teste) *oppidum cum castro demoliti sunt.* Sed supera-
runt tamen aliquæ urbis reliquæ, ulteriori servatæ exci-
dio: id quod jam dicendum veniet.

§. XXIII. Trucidato quoque Zventepoldo, & unico
ejus Zvinicone (Helmoldo *Zvineke*) filio, Canuto Daniæ
Regis Erici gnato; & hoc ad plures abeunte, Pribislao
Henrici (ut Helmoldus ait) fratrueli, & Nicloto
Slavorum Obotritorumque terræ sunt divisæ. Qui
cum *truculente* tanquam *bestia* (ita Helmoldo audiunt)
Christianorum cæde & sanguine omnia miscerent, & Pri-
bislaus Segebergæ arcis suburbium everteret, Race qui-
dam, de Cruconis progenie, pro contentione, qua Cruconis
& Henrici dissidebant posteri, Pribislaum insecutus, &
hunc

138. hunc in Lubeca hostem quærens, iis, quibus Rugianorum furor pepercerat, solo æqvatis, urbi desolandæ demum ultimam manum imposuit. Quod ad annū 1138. Albertus Stadenſis, alii ad ſequentem referunt. Et hoc fatale illud eſt veteris Lubecæ excidium, quo parum abſuit, quin & nomen urbis plane hominum ſe ſubduxiffet memoriæ: niſi Adolphus Comes iisdem quæſis jam dudum tentata, inſtaurando ſedibus, ex cinere collapsisqve rudetibus reſtituiſſet quaſi poſtliminio.

§. XXIV. Adolphum hunc II. ex Schovvenburgenſi familia Holſatiæ Comitem provincia propulerat Albertus Viſus Brandenburgendiſis Marchio, eo (ut Helmoldus ſcribit) quod fidem juratam Imperatrici Rikenze & genero eius temerare noluiſſet, ſed Henrico Bavaro contra Albertum de Saxonix Ducatu cum ipſo contendente adhæreret. Traditus Comitatus ipſius Henrico de Badevvid (ſic Helmoldus, eumqve ſecuti Albertus Stadenſis & Krantzius. Lerbecius perperam vocat *Henricum de Bardevvick*) cui & arx Segeberga ceſſerat. Henricus ille reſpreſſis per Holſatos Stormarosqve ſuos V Vagris, Slavorumqve terra incurſionibus, prædis, & igne miſere devaſtata, cum reducto per Henricum Superbum Bavariæ Saxonixqve Ducem Adolpho reſiſtendi vires ſibi deſuturas crederet, ſuccenſo caſtello Segeberga, fugam meditatus, ac Hamburgum arcem demolitus eſt. Huic poſtea Gertrudis, Henrici Leonis (hic patri Henrico Superbo in Saxonix Ducatu, a Lothario Imp. anno 1136. ſoleni ritu eidem collato ſucceſſerat) mater vendidit V Vagriam. Sed Adolphus Henricum Leonem ejusqve purpuratos accedens, juſtiori ſua cauſa (Helmoldus addit: *auctiori pecunia*) tantum profecit, ut Henricus Polaborum ſibi ſervata Slavia, Adolpho V Vagriam cum Segeberga arce traderet.

§. XXV. Caſtro hoc itaqve reſtaurato, Adolphus, ut vacuam incolis cultiorem redderet provinciam, undiqveqve Batavos, V Veſtphalos, Flandros, alioſqve conſcripſit populos, ipſosqve ſuos evocavit Holſatos, qui V Vagriam inco-

incolerent. Quam cum accedentibus esset dispersit, anno
Christi c^o CXL. (non c^o CLVI. ut Lerbecius somniatur) 1140.
venit demum ad locum qui dicitur Bucu (Helmoldum facio
loquentem) invenitque ibi vallum urbis desolata, quam edifi-
caverat Cruco olim tyrannus, & insulam amplissimam, gemino
flumine cinctam. Nam ex una parte Trabena, ex altera VVochni-
za præterfluit, habens uterque paludosam & inviam ripam. Vi-
dens ergo industrius vir competentiam loci, portumque nobilem,
cœpit illic edificare civitatem, vocavitque eam Lubeke, eo quod non
longe abesset a veteri portu & civitate, quam Henricus Princeps
olim constituerat. Et ita (ut Krantzius VVandal. lib. IV.
cap. I. inquit) Lubicam de Zwartou cum nomine transtulit in
superiora, civitatem, que propitio Deo in diebus nostris ita
effloruit, ut invidiam sit prætergressa omnium in
circuitu principum & urbium.

CAPVT II.

DE

LVBECÆ

STATV SVB ADOLPHO II. COMITE.

SVMMARIVM.

I. II. Adolphus reparata Lubeca Niclotum Obotritum sibi fœdere
jungit. Sacra restaurat. Monasterium Segebergense dirutum
in Högelstorff transfert. III. Conradi Imp. sacra expeditio. Co-
pia in tres diuise turmas. IV. V. Harum una in Slaviam de-
stinata sub Henrico Leone, alique. Niclotus VVagriam &
Lubecam infestat. VI. Exercitus sacer Dobinum Deminum-
que obsidet. Dani ab obsessis caduntur. Obsidio soluta. VII.
Adolphus amicitiam cum Nicloto resarcit. Vicelinus pauperi-
bus opitulatur. VIII. Svenonis, Canuti, & VValdemari de re-
gno Dania contentio. Adolphus stat a partibus Canuti. IX. Sve-
no Comiti succensens VVagriam vastat. Eihelerus Holjatos ab-
ducit; qui edicto Henrici revocantur. Adolphus & Canutus
Slesvicum obsident. X. Canutus Eiheleri dolo recedit, deserto
Adolpho.

Adolpho. Hic cum Danis erumpentibus confligens, victori-
 am reportat, terramque suam munit. XI. Vicelinus eligitur
 Aldenburgensis Episcopus. Henricus Leo investituram a se
 recipiendam monet. Archiepiscopus Vicelino disuadet. Viceli-
 nus Lubeca altare dedicat. XII. Tandem Vicelinus investitur
 a Principe. XIII. Adolphus Henrico absente Ducatum ad-
 ministrat. Niclotum in domandis rebellibus adjuvat. XIV.
 Henricus a Comite dimidiam Lubecam & Oldesloensem Sulciam
 postulat. Quo negato, Lubecensibus mercatura interdicit. XV.
 Geroldus Vicelino succedit. Inscriptio lapidis Lubecensis. XVI.
 Geroldus Archiepiscopo reconciliatus Aldenburgum petit.
 XVII. Lubeca exusta. Henricus ab Adolpho locum Bucu non
 obtinens novam condere tentat civitatem. Dein voti compos. in
 eodem loco, quo fuerat, Lubecam restaurat: privilegiis ac
 libertate concessis. XVIII. Niclotus contra datam fidem Lube-
 cam ex insidiis aggreditur. A Sacerdote prohibetur. XIX. Hen-
 ricus Episcopatum Aldenburgo Lubecam transfert. Geroldi
 obitus. XX. Succedit Conradus. XXI. Adolphus in bello contra
 Pribislaum occumbit. XXI I. Ejus laudes.

§. I.

Revixit itaque felicissimis Adolphi auspiciis Lu-
 beca, & Libitinæ fato subtrahita denuo in op-
 pidum, urbem, civitatem effloruit.

§. II. Tantum recuperatæ VVagriæ
 splendorem cum Adolphus Comes reddidis-
 set, firmata cum Nicloto Obotritorum Principe amicitia,
 & devinctis sibi per munera nobilibus, pacata provincia
 & quotidie incolarum numero aucta frui coepit. Sacrorum
 etiam habens rationem, revocato de Faldera (Neu-Mün-
 ster) quo cum sociis Rugianorum Slavorum Holfatorum-
 que irruptiones cum egerant, Vicelino prædia jam tum a
 Lothario concessa restituit. Visum autem fuit eis (ita Helmoldus
 lib. I. cap. LVIII.) propter incommoda fori & tumultus ca-
 strensēs, monasterium in proximo oppido, e regione Segebergæ,
 quod Slavice Cuzalina, Teutonice Hagerestorp (hodie Högelstorff)
 dicitur, fundatione commodissimum esse: quamobrem missus

cō

eo Volkwardus sacerdos cum industriis viris oratoris & claustralibus officinis subrigendis operam dare iussus est.

§. III. Circa hæc tempora Conradus Rex Germaniæ a Bernhardo Clarevallensi Abbate, viro miraculis & miraculosa sanctitate celebri, Francofordiæ (ubi tum Adolphus noster morabatur) persuasus sacram expeditionem suscipit. Juncti ergo Conrado Fridericus Sæviæ, Guelphus Baviariæ Duxes, aliique Principes ac Episcopi, Nobiles plebei que innumeri, Ludovici Galliarum Regis quoque aucti consortio sacrum iter aggrediuntur. *Purgatam* ait Krantzius Vandal. lib. IV. cap. II. *tunc latrociniis Germaniam, quod omne id genus hominum sacram cum Rege inierit profectioem.* Insigniti ergo vestes ac arma crucis signo, in tres divisi sunt exercitus, quorum prior ad Orientis plagam, alter in Hispaniam, in Slavicas terras tertius destinatur.

§. IV. Sed abeant, quo vocant fata, priores duo, aliosque suæ virtutis, criminum, exitii que habeant scriptores. Tertius ille nos habebit comites, gestorum fortunæ que spectatores.

§. V. Præerant his copiis Albero Hamburgensis (ita Helmoldo: Krantzio Bremensis solum audit) Episcopus, Henricus Saxoniarum Dux adolescens, Conradus Dux Zaringiæ, Albertus Marchio de Soltvvedel, Conradus de VVithin, pluresque alii. Horum adventu perterritus Niclotus Princeps, sibi suisque cladem imminere metuens, firmato Dubin castro, expeditum ut offenderent militem laborabat. Missis etiam ad Adolphum Comitum legatis, pristini cum eo foederis pacta in memoriam revocans, ejusdem implorabat auxilium. At renuente Adolpho, eo quod offensam tantorum esset contracturus Principum, verso in illum odio, Niclotus classe Travam subvectus, cum vino epulisque sepultos cives invenisset Lubecenses, trecentis horum cæsis, naves mercibus onustas Vulcano consecravit: & arce per biduum obsidione pressa, leviori turma omnem pervagatus VVagiam, flammis

1148. mis, cæde, prædis permiscebat omnia, annum Christi circiter clō CXLVIII.

§. VI. Properante autem in Slaviam Saxonum hoc crucigero milite, munimenta Dobinum Deminumque corona cinguntur. Dani prioris obsidioni accedebant: sed erumpentibus Slavis magna afficiuntur strage, quoniam a suis lacu distincti, & (secundum Helmoldi elogium lib.I. cap. LXV.) *domi pugnaces, foris imbelles* essent. Tandem cum Saxonum nonnulli viderent, se terram hanc sibi tributariam devastare, adeoque fore, ut impofterum vectigal minueretur, ac porro Albertus Marchio mitiora sentiens, interprete Helmoldo, his uteretur verbis: *Nonne terra, quam devastamus, terra nostra est? & populus, quem expugnamus, populus noster est? Quare ergo invenimur hostes nostrimet, & dissipatores vectigalium nostrorum? nonne jactura hæc redundat in Dominos nostros? imminuto indies oppugnantium impetu, pro pace obtinenda Slavos fide Christiana imbui, captosque restituere Danos edicunt. Quod cum simulate in se reciperent, Danorumque relaxarent senes & inutiles, ceteris retentis, quos servitio robustior aptaverat atas, grandis illa expeditio cum modico emolumento soluta est: quæ verba sunt Helmoldi dicto capite, sequentia item addentis: *Nam neque baptismum servarunt, nec cohibuerunt manus a depredatione Danorum.**

§. VII. Renovato dehinc cum Nicloto foedere, Adolphus suos consolando & captivos redimendo, non intermisit officium: neque ausus tamen Obotritis eorumque Principi nimium fidere; quippe quibus foedera icere & rumpere æque paratis nunc dare fidem, nunc temerare nulla esset religio. Vicelinus etiam cum Thetmaro ex Bremensi Decano sibi socio, pauperibus, quos bellica tempestas afflixerat, famem frumentique penuriam levando, non minus corporis quam animæ fidelem egit pastorem.

§. VIII. VVagria aliquantum temporis pacem senserat; senserat Adolphus, cum novas irrequietas turbas spiraret aqvilō. Rege Daniæ Erico Edmundo per Plogum
Jutia

Jutia natum occiso, præter Svenonem Erici filium V Valdemarus Divi Canuti, & Canutus Magni soboles supererant, omnes ætate puerili, & nondum rebus gerendis pares. Datus his tutor Ericus Spæ morti vicinus trigam Juvenum convocavit, & Svenoni natu maximo regnum, ceteris duobus paternam hereditatem adjudicans, vita excessit. Canutus vero actus dominandi cupidine, ruptoque laudati tutoris testamento, regnum Svenoni debitum vi extorquere nitebatur. V Valdemaro cum nec integrum, nec ad palatum, neutras sequi partes, misso Canuto, Svenoni adhæsit. His contentionibus Adolphum Comitem implicaturi quisque muneribus ad suam factionem pertrahere studebant; sed ipsi pro tempore visum Canuto adhærere, quocum ipsi pridem major intercedebat familiaritas.

§. IX. Hæc Adolphi mens Svenoni bilem movit, ut adeo læta manu ingressus V Vagiam, Aldenburgum & alia mari vicina, itemque Segebergense suburbium flammis daret, idque imprimis instinctu Etheleri, dynastæ Dithmarsii, qui allectos undiquaque donis & pecunia Hollatos ipsi Adolpho Domino opponebat, eundem, si fieri posset, plane exturbaturus provincia. Hinc compulsus ad Henricum Leonem confugere Adolphus, questum de suorum perfidia, ejusdemque petitum suppetias. Edicto itaque cavuit Princeps, ne amplius Hollati Ethelerum sequerentur, ac ii, qui jam defecissent, illico recederent. Quocum multi ad obsequium essent reducti, Adolphus missis ad Canutum nunciis eundem ad Slesvicum obsidendam, in qua Sveno morabatur, evocavit: junctisque copiis Canuti suorum quatuor millibus, obsidionem aggrediuntur.

§. X. Sed ad dolos conversus Ethelerus donis placando Canutum ab obsidione urbis avertit: quo Adolphus perfide desertus periculo exponebatur præsentissimo. At de eo per quendam familiarium factus certior, paululum recedit, & ad explorandum Etheleri adventum mittit milites; qui cum intercepti non redirent, ceteri appropinquare Ethelerum existimantes, necquicquam commo-

ti gravi Comitis oratione, fuga ad Eidoram fluvium elabuntur, quadringentis saltim Comiti adhærentibus. Hac paucitate attonitus non nihil Adolphus, fortiter nihilominus ad pugnam eos cohortando, tantum profecit ut diu dubio Marte cum ingentibus Danorum copiis confligens, denique resectis hostilium equorum poplitibus, in præceptis cataphractariis, victoriam reportaret splendidissimam: ipsoq; perfidiam acerbo fato expiante Ethelero, Svenno Rex in altera fluminis ripa certaminis spectator Slesvicum fuga repetere necessum haberet. Exin rediens cum Rege Svenone in gratiam, postquam Canutus variis fractus cladibus in Saxoniam profugerat, optime suæ præfuit Holsatiæ V Vagriæque, & *collocato in locis opportunis exercitu* (ita Helmoldus lib. I. c. LXVII. discribit) *videlicet Travenemunde, sive ad Egdoram, præcipuam habuit terræ suæ diligentiam.*

1149.

§. XI. Eodem hoc tempore, anno nempe cloCXLIX. Hartvicus Hamburgensis Archiepiscopus Vicelinum præfecit Aldenburgensi Episcopatu, qui reducto, proh dolor! paganismo per LXXXIV. annos moderatore caruerat. Sed hoc cum inconsulto Duce Henrico Leone & Comite Adolpho factum esset, gratia Comitis, quæ antea Vicelinum amplectebatur, exspiravit, ut omnes etiam ipsi subtraheret decimas. Henricus vero Episcopum novellum veniam petentem, graviter redarguit, quod sese nescio hanc spartam suscepisset: at condonavit tamen hoc delictum ea lege, ut investituræ virgulam e manu sua reciperet. Mordit aliquantulum hoc Vicelinum, cui licet Henricus de V Vitha sive V Vidda, e ministerio Ducis id blandis persuadere verbis conaretur, cum *solius Imperatoris majestatis esset Episcopos investire*, (verba Helmoldi hæc sunt lib. I. c. LXIX. quamvis non simus nescii, quid alioquin inter Henricum V. & Paschalem Papam actum) rem secreta animi pensatione dignam, aliarumque submittendam judiciis existimavit. Arbitrio itaque Cleri voluntatem Principis exponit. Quam cum isti vehementer impugnarent, & serio Vicelinum, ne tantum se submitteret, dehortarentur, diu.

diu quid faceret dubius hæsit. Interea temporis Cuzelinæ oratorium, altare in urbe Lubecensi dedicans, Aldenburgum perrexit, & manipulo Slavorum ad Christum converso sanctuarium ibi cœpit condere.

§. XII. Hinc cum Henricus in Bavariam moveret contra Henricum vitricum, Luneburgi eum conveniens Vicelinus *pro Episcopatus sui promotione rogat*, ut Helmoldus cap. LXX. loquitur. Sed quod Dux precibus ejus locum se daturum promitteret, modo sibi de investitura concessisset; commotus tandem Vicelinus, honore suo commodis Ecclesiæ postposito, de manu Ducis virgulam simulque villam Bosovv ad Plönensem lacum suscepit, quod donum suo consensu Adolphus confirmavit.

§. XIII. In Bavariam quando concessisset Henricus, Adolpho cum uxore Ducis Clementia Luneburgi commoranti provinciarum omnium Henrico subiectarum incumberebat regimen. Huc veniens Niclotus Obotritus, de Kyrcinorum Circipanorumque defectione querebatur. Adolphus igitur illuc profectus Nicloto in domandis rebellibus tulit suppetias. Et ab hoc tempore magis firmata est horum amicitia, ut sæpius vel Lubecæ vel Travemundæ instituerent colloquia pro regionum suarum incremento.

§. XIV. Sic evecto ad solium Germanicum Friderico I. pacata VVagria, Lubecensis civitas non exiguos mercaturæ progressus ac emolumenta cepit, adeo ut Henricus (absque insigni expeditionis fructu e Bavaria redux) forum Bardevicense Lubecensis incremento comminui; Luneburgensibus quoque salinis (*Sulciam* vocant ejus ævi scriptores, quod nomen in præsentī durat) Oldensloenses non parum damni ferre sentiens, urbis Lubecæ sulciæque Oldesloensis (Helmoldo, Lerbecio, aliisque *Thodeslo*) ab Adolpho partem peteret dimidiam. Sed repulsam ferens, mercatura cum Lubecensibus prohibita, Bardevicum merces voluit transferri, annona aliisque cibariis exceptis: salinarum insimul Oldesloensium obturatis fontibus. De

quo ne prolixius agamus, Cl. Dn. Præsidis industria facit, qui hæc in *Bardevicensi Historia*, tum singulari de *Sulcia Luneburgensis Originibus ac incrementis* dissertatione luculentius exposuit. Atque o! utinam brevi in lucem prodiret una cum exquisitissimi ingenii rarissimæque industriæ monumentis ceteris elegantissimum de *Salinis Regve Salaria in urbe Luneburgensi* syntagma Viri Nobilissimi, multiplicique doctrina florentissimi, Dn. Johannis Heinrichi Hofmani, Sereniss. Brunsvico-Luneburg. Duci JOHANNI FRIDERICO a secretis & Archivo Ducali.

1154.

§. XV. Mortuo anno clo CLIV. Vicelino, Geroldus, Svevia oriundus, Duci Henrico a Sacris (*Capellanum* vocat Helmoldus) a Clementia commendatus, Ecclesiæ unanimi consensu surrogatur. Denotat hunc annum lapidis superliminaris Ecclesiæ nostræ Cathedralis inscriptio, cujus verba hæc sunt: *Anno Domini clo CLIV. Henricus Leo, Bavvarie & Saxonie Dux, tunc temporis hujus civitatis Dominus, & hujus ecclesie fundator, Geroldum primum episcopum Lubecensem hic introduxit.* Vbi de introductionis anno nequis offendatur, bene hæc inculcat Dn. Bangertus: *Quod hic dicitur, Geroldum hoc anno primum Episcopum hic introductum, cum contra libri veteres editi & inediti testentur, ipsum primum Aldenburgum missum esse, & anno 1163. demum Episcopatum Lubecanum translatum, non pugnare intelligemus, si attendamus, etiam Lubecæ Evangelium prædicandi & sacra faciendi potestatem illum accepisse, cum tota VVagria Episcopatus illius tributa esset, & Vicelino quoque ejus antecessori cura ecclesie Lubecensis demandata fuisset.*

§. XVI. Italiam cum Friderico Imperatore & Henrico Leone ingressus Geroldus, cum denegatam sibi ab Archiepiscopo consecrationem ab ipso obtinuisset Papa Adriano IV. domum reversus, Archiepiscopo licet primo non nihil indignanti reconciliatur. Post cum fratre suo Riddageshusano abbate Aldenburgum profectus, illic in asperissimo frigore, in cumulo nivis (ut Helmoldus, qui ipse interfuit, lib. I. cap. LXXXII. queritur) officium peregit. Benigne tamen a Regulo Pribislao receptus, lucum Slaviæ celebrem

com-

combussit, & ad convenientes undiqvae die Dominica ad Lubecense forum populos, de gentilismo deserendo verba fecit.

§. XVII. Habent & sua fata civitates, mirasque rerum subeunt vicissitudines. Ita mirabilem fortunæ vertumnum merito Lubecam dixeris, quæ aliquoties destructa, sed restaurata semper, postquam proximo ævo ad invidiam crescere, mercatura, civibus, divitiis magis indies florere, & vicinis præferri cœpisset urbibus, subita hunc fulgorem obumbravit nebula, & anno clō CLVI. civitatem
1156
ferale consumsit incendium. Sed forte *cum ei loco splendor esset major adhibendus*, (Krantzium Vandal. lib. IV. c. XXX. audis Lector) *purgavit ignis, auferens primordia, tumultuarie non magnis apparatus instructa*. Adire tum cives Principem, urbi quæ liceat libere mercaturam exercere sedem postulare aliam, in cineres redacta alibi exstruere parati ædificia. Dux eodem, quo fuerat, loco urbem restituere meditatus, Adolphum de permittenda sibi convenit insula. Repulsam ferens, ad V Vakenissam non procul a Lubeca jam jam conflagrata novæ molitur civitatis (*quam suo de nomine Leonis urbem, Lewen - Stadt vocabat*) fundamenta, jussis illic instaurare ædes civibus. Sed cum locus ille minus esset idoneus (hoc Helmoldi lib. I. cap. LXXXV. verbis effieram) & portu & munimento, nec posset adiri, nisi navibus parvis, Dux iterato sermone cœpit convenire Comitem Adolphum, super insula Lubicensi & portu, multa spondens, si voluntati suæ parvisset. Tandem victus Comes, fecit quod necessitas imperabat, & resignavit ei castrum & insulam. Et tunc, jubente duce, reversi sunt mercatores cum gaudio, deserris incommoditatibus novæ civitatis, & cœperunt readificare Ecclesias & mœnia civitatis. Additis quoque novis urbi immunitarum juri-
1158
bus, ac quibuscumque plena mercandi libertate, *incredibile est memoratu*, ait Krantzius d.l. *quantum brevi profecerit urbs novella, postquam in Ducalem pervenit potestatem*. Illico subjicit: *Erat autem post datam mundo salutem annus* clō CLVIII. §. XVIII.

§. XVIII. Fridericum Cæsarem in Italiam moven-
tem comitati anno hoc Henricus Leo & Adolphus, Niclo-
tum prius, ne VValdemarum Daniæ Regem infestaret, nec
VVagriam ceterasque turbaret provincias, juramento ob-
strinxere. At hic, temerata fide, utriusque mandata ne-
gligere non erubuit. Quamobrem a reditu Ducis proscri-
ptionem incurrit. In Lubecam igitur (quod alioquin ei
non insolens) iras effundens, per filios cum copiis milita-
ribus emissos ex insidiis facile cepisset urbem, nisi Athelo-
nis sacerdotis obstitisset virtus, qui pendulo levato ponte,
VVakenissam transituros arcuit. Pro hoc insigni facto
Lubecensem Præposituram consecutum memorat Helmoldus
lib. I. cap. LXXXIX.

1163. §. XIX. Cæso demum tanto ardore Nicloto & fir-
mata Obotritorum VVagriæque terra, Henricus Geroldi
motus precibus Episcopalem Aldenburgo sedem (ab Otto-
ne M. medio seculo decimo fundatam, primoque Episco-
po Marcone ornatam) anno dño CLXIII. Lubecam trans-
tulit: & constitutis duodecim Canonicis Adolphus villas
ac redditus assignare iategit. Geroldus vero Falderensi Ec-
clesia *Novi Monasterii* nomine tum insignita, ac Lubecensi
quoque dedicatis, vitam cum morte commutavit, sepul-
tus in templo D. Johannis *in arena* dicto, quod ipse ædi-
ficaverat, Helmoldo *Basilica* nomine appellato.

§. XX. Sufficit Henricus Leo fratrem Conradum
Riddageshusanum Abbatem, cui tamen perinde ac Gerol-
do resistebat Hartvicus Archiepiscopus. Sed quod *Duci re-
fragari* ex Helmoldi sententia *formidulosum* esset, illum de-
mum consecravit. Quamvis hunc Conradum idem au-
tor sævitæ ac severitatis incuset, ac fraternis plane adver-
santem virtutibus depingat.

1164. §. XXI. Anno dño CLXIV. Pribislaus Nicloti filius,
per fratrem natu minorem VVertislaum, Brunsvici in vin-
culis detentum, instigatus, a Slavis suis expugnato & suc-
censu Mechlenburgo, totaque Obotritorum turbata pro-
vincia, Henricum Ducem cum Achate suo Adolpho aliis
que

que instructissimis sibi copiis occurrere coëgit. Hic, in patibulum acto, quem tenebat V Vertislao, Adolphum cum Reinoldo Dithmarsiae Comite ceterisque præmittens brevi cum majori se exercitu secuturum spondet. Sed cum longius moraretur Princeps, Slavis subito Adolphum Comitem aggressis, prima quidem eorum acies stragem passa, at insequens proxima tam fortiter, tam violenter institit, ut fortissimus noster Adolphus, cum Reinoldo strenuisque militum quampluribus cæsi succumberent. Reportata non diu post de Slavis hisce victoria, Henricus manes Adolphi lacrimis profecutus, corpus ejus dissectum ac aromatibus conditum Mindæ patrio sepulcro mandari fecit. Comitatus ipsius Mechthildi conjugii, filioque ejusdem cum patre nominis est relictus.

§. XXII. Virtutes Comitis commendans Helmoldus hæc in verba erumpit lib. II. cap. V. *Immutata est facies terra hujus, eo quod justitia et quies Ecclesiarum sublato bono patrono penitus infirmata videretur. Ipso enim superstite, clero nihil asperum videbatur. Tantus erat fide, bonitate, prudentia atque consilio, ut universis videretur constructus virtutibus. Hic unus de bellatoribus Domini, & certe non infimus infuniculo sortis suæ utilis inventus est, extirpans idololatriæ superstitiones, & faciens opus novæ plantationis, quod fructificet in salutem. Novissime peracto boni itineris cursu, pervenit ad palmam, portansque vexilla in castris Domini, stetit pro defensione patriæ, & fide Principum, usque ad mortem.*

CAPVT III.

DE

STATV

LVBECÆ

POST ADOLPHI MORTEM SVB
HENRICO LEONE, VSQUE CAPTAM. A
FRIDERICO IMPERAT. VRBEM

SVMMARIVM.


I. *Henrici Leonis potentia aucta. Hic Adolpho I l. tutorem dat*

D

Henri-

*Henricum Orlamundanum. II. Henricus Vxore Dux repudia-
 ta aliam ducit. De anno hujus matrimonii. III. Conspira-
 tio Principum contra Henricum. IV. Conradus Lubecensis
 Episcopus Leoni perfidus in exilium agitur. Recipitur. V. Im-
 perator Fridericus Henricum inimicis suis reconciliat. VI.
 Waldemarus Danie Rex cum Henrico colliditur. Lis matri-
 monio tollitur. VII. Henricus in Palestinam iter suscipit. VIII.
 Conradus Episcopus in itinere moritur. IX. Succedit Henri-
 cus Brunsvicensis Abbas. Lubeca templum cathedrale constru-
 tur. X. Henricus Leo Friderici Imperatoris offensam contra-
 bit. XI. Episcopus Halberstadensis & Archiepiscopus Coloni-
 ensis contra Henricum movent Henricus proscribitur. XII. Sa-
 xonia Bavariaeque Ducatibus exuitur. XIII. Ulrichus Hal-
 berstadensis Episcopus ab Henrico compescitur. XIV. Philip-
 pus etiam Coloniensis Archiepiscopus ut & Ludovicus Thurin-
 gie Lantgravius coerciti. XV. Adolphus III. a Leone deficit.
 Henricus munita Lubeca, adveniente Cesare, Stadam profi-
 ciscitur. XVI. Imperator Lubecam obsidet. Cives Ducia
 consensu urbem dedunt. XVII. Lubeca fit Imperialis
 Civitas.*

§. I.


 Ugebatur indies Henrici Leonis potentia, au-
 ctæ & hereditate & jure belli regiones. V Val-
 demarum quoque Danie Regem, habito, sive
 Lubecæ, sive ad Eidoram fluvium, sibi conci-
 liavit colloquio, pacto insuper de mutuis auxi-
 liis ac præda ex æquo dividenda foedere. Adolphi Comi-
 tatum Mechthildis viduanomine filioli interim administra-
 bat: sed huic ob ingravescentes motus bellicos Henricus
 Leo tutorem dedit Henricum Comitem Orlamundanum,
 cui post Mechthildis nupsit.

§. II. Exinde Clementia uxore ob arctam nimis co-
 gnationem (ut Helmoldus lib. II. cap. X. & Chronicon Mon-
 tis sereni ad annum clcclxiii. notant) repudiata,
 Mechthildem Angliæ regis filiam sibi junxit. In anno
 hujus matrimonii mire variant: prout jam tum ostensum
 Hen-

Henrico Bangerto. Qui in annum c^lCLXIII. referunt,
nimis forte præcipitant: qui vero in annum c^lCLXIX.
nimis forte differunt nuptias: ut mirum non sit Cl. Du. Præ-
sidi Historiæ Bardevicensis cap. VI. mediam de anno c^l
CLXIV. placuisse sententiam.

§. III. Neque diu est quod Henricum exceperint ad-
versa: quando Episcopi viciniqve principes consilia inive-
re de infringenda nimis sibi suspecta Ducis potentia. Qua
de re ipsum juvat audire Helmoldum lib. II. cap. VII. sic lo-
quentem: *Postquam Cesar quartam profectiorem paravit in I-
taliam, & opportunitatem tempus adduxit, statim inveterata con-
spiratio processit in publicum, & facta est conjuratio valida omnium
contra unum. Fueruntque inter eos primi, Wichmannus Magde-
burgensis Episcopus, Hermannus Hildensemensis Episcopus. Post
hos fuerunt principes ii: Ludovicus provincialis comes Turingie,
Adelbertus marchio de Solzevedele, & filii ejus, Otto Marchio de
Camburg, & fratres ejus, Adelbertus palatinus Comes de Someresburg
&c. Super hos omnes præpotens ille Reinoldus Colonienfis Archiepi-
scopus, & Cancellarius imperii insidiatus est Duci, facie quidem ab-
sens & in Italia positus, sed totus consilio expugnationi Ducis inten-
tus.*

§. IV. Hos inter inimicos etiam Conradus erat Lube-
censis Episcopus, qui Hartvicum Hamburgensem Archie-
piscopum de fide Henrico non servanda instigabat. Edo-
ctus de hac perfidia Princeps Conradum accensitum sibi
jubet præstare homagium, secundum concessum sibi jus
ab Imperatore investiendi in V Vagria Episcopos. Sed dum
renuit Conradus, prohibito ipsi Ecclesiæ introitu omnibus
privat redivibus. Dein vero postquam cum Hartvico Ar-
chiepiscopo exul per aliquod temporis spatium Magdebur-
gi & in Gallia degisset, mortuo Hartvico, in gratiam re-
ceptus est Conradus.

§. V. Anno tamen c^lCLXVIII. Imperator Frideri- 1168.
cus in Bambergensibus comitiis Henricum reconcilia vit
suis hostibus. Quo de Helmoldus lib. II. cap. XI. *Multis
itaque dilationibus, multa providentia & consilio, dissensiones, que*

erant inter Ducem & principes, ad conventionem pacis inclinata sunt, & cesserunt omnia juxta placitum Ducis. & receptus est ac circumventione Principum absque omni sui met diminutione.

§. VI. Eodem hoc anno cum V Valdemarus Daniæ Rex Rugianos subegisset, & destructo idolo eorum Svantevito Christianam docuisset religionem, Henricus Leo missis ad Regem legatis ex pacto sibi debitam dimidiam tributi, quod exsolvebant Rugiani, partem expetit. Cujus denegatio bello fenestram aperuit. At hoc V Valdemarus amore pacis ita sopivit, ut concessio Duci tributo Rugianorum, Canuto filio natam Henrici, viduam Friderici de Radenburg (sic Helmoldo audit) in matrimonium exposceret.

1170. §. VII. Rebus itaque pacatis, & prospero successu Henricus florens sacrum in Palæstinam iter suscipit anno clo CLXX, quod male nonnulli in clo CLXXII vel clo CLXXIII. annum transferunt. Provinciarum curam tum demandavit V Wichmanno Magdeburgensi Archiepiscopo. Socios præter ceteros Conradum Episcopum Lubecensem, Henricum Abbatem Brunsvicensem, Bertoldum Abbatem Lunenburgensem, Pribislaum Obotritorum Regulum ex hoste in amicitiae foedus assumptum, aliosque quamplures comites duxit. Quos sollicitius, totamque itineris historiam accurate tradit continuator Helmoldi Arnoldus Lubecensis Abbas, lib. II. cap. II. seqq.

1172. §. VIII. Cum anno clo CLXXII. reditum pararet princeps, Episcopus Lubecensis Conradus, quem ægro- tantem Henricus Accone reliquerat, ipsum cum Bertoldo Abbate insecutus, Tyri vitam finiit. Ita Arnoldus lib. II. cap VIII. Conradus autem Episcopus egrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Cum autem Dux abiisset, Dominus Episcopus moleste ferens ejus discessum, habens etiam quedam negotia ei insi- nuanda, cum Abbate Bertoldo barcham ingrediens navigio eum insequitur, crescente autem corporis molestia, cum jam applicarent ad civitatem quæ Surs dicitur, vel Tyrus, spiritum reddidit. Cujus corpus in civitatem perlatum honestissime terra reconditum est. Ne-
icio

scio quæ supputatione usus auctor Chronici Slavici, quod Conradum anno cl̄o CLXVIII. mortuum, & eodem anno Henricum Brunsvicensem successum scribit.

§. IX. Hoc audito graviter quidem indoluit Henricus, pergens nihilominus, quæ cœperat, et feliciter Brunsvicum reversus, templum allatis secum sanctorum ornavit reliquiis. Postea Luneburgi agentem Lubecenses adire Canonici alium expetentes Episcopum, & quidem, si cum pace ejus fieri posset, Henricum Abbatem Brunsvicensem. Quo illis concessio, deduxere ipsum Brunsvico, ut ab Henrico Principe investituram capiens Lubecæ consecraretur. Hoc cum Episcopo Henricus Leo primum cathedralis nostræ Ecclesiæ lapidem posuit. Quomodo intelligendus anni numerus in lapide ipsius templi expressus, ubi dicitur: *Anno Domini cl̄o CLXX. edificata fuit presens ecclesia per Dominum Henricum, Ducem Bavariae & Saxoniae, & per Henricum, tertium Episcopum Lubecensem, et fundatorem monasterii S. Johannis in Lubec, consecrata in honorem sanctorum Johannis Baptiste & Nicolai Confessoris Jesu Christi.* Consulatur Cl. Bangertus pag. CCLXI. Sed hæc desiderato fine non complevit: ait Arnoldus. lib. II. cap. XIII. quia post tempora dierum illorum factus est motus magnus, qui totam Saxoniam vehementer cœcutiebat, & intermissis constructionibus Ecclesiarum cœpit firmare presidia civitatum & urbium, quia bella plurima adversus ipsum consurgebant.

§. X. Nam cum Fridericus Imperator quinta vice in Italiam movisset, quod neque supplicibus precibus Imperatoris moveri posset Henricus Leo, ut vel huic expeditioni ipse esset præsens (secundum Arnoldi sententiam) vel (ut alii volunt) ne ab exercitu Friderici abductis multis Germanis recederet; Imperator pressa quamvis non nihil ira, cum Italica utcunque composuisset, causam Henrici ad convocatos refert Principes, quod propter nimium fastum superbia tantum imperio contemptum exhibuerit, ut eo ante pedes ejus humiliato, nullo eum miserationis intuitu in tanta necessitate constitutum attendere dignatus fuerit, & despecta republica & auctoritate Imperatorie majestatis neglecta, omne auxilium obstinato animo

animo ei negaverit. Hic jam tum odio Henrici flagrantem, oleumque camino affundere gestientes, omni honore eum privandum judicabant, & reum imperatorie majestatis proclamabant, non solum quia precepta vel merita ipsius despexisset, sed quod ad ignominiam omnium Principum in propria eum persona humiliatum confudisset. -- Facta est igitur conjuratio valida adversus eum. Cesar itaque videns Principes ei intentare malum, multa usus prudentia, totum ad dejectionem ipsius ingenium pendere coepit. Animadvertensque quod facile eum destruere non possit, admovet omnes varia calliditate dolos, & quem viribus expugnare diffidebat, sapientia admota paulatim manu evincere cogitabat. Haftenus Arnoldus lib. II. cap. XVI.

§. XI. Primi adversus Henricum insurgentes Ulrichus Halberstadensis Episcopus, & Philippus Comes de Heinsberg, Archiepiscopus Colonienfis, Principi & intulere clades, & ab ipso referebant; quorum alter aperto Marte, alter incendiis & rapinis Ducem infestare ausi sunt. Sed hæc cum ante auditam decisamque Henrici causam agerent, Imperator anno cl^o CLXXIX. Ducem (qui cl^o CLXXVIII. Lubecæ coenobium S. Johannis fundarat) bis VVormatiam ac Magdeburgum evocavit. At ille, cum per internuncios tantum colloqui cum Friderico, nec ipsi summam quæ undecim millium marcarum, quam poscebat, vellet exsolvere, discessit. Goslarium citatus cum tertia vice non compareret, unanimi Principum voto proscriptionis in eum torquetur fulmen, ab Imperatore denuo ad quartam ipsum vocante curiam, cum non veniret, confirmatum.

§. XII. Sic evomere principes suas in Henricum iras, ut non modo publica proscriptione multatus Imperii proclamaretur perduellis, sed & Saxoniarum Bavariarumque ducatibus, Bernhardo Anhaltino Comiti, Alberti Vrsi filio, & Ottoni de VVittelsbach concessis, privaretur: excipiente licet ipso contra hoc judicium, Arnoldo teste, quod esset de Suevia oriundus, & nullus proscriptione damnari posset, non convictus, in terra natiuitatis suæ. lib. II. cap. XXIV.

§. XIII.

§. XIII. Ex eo igitur tempore, pergunt Arnoldus capite sequenti, multiplicata sunt mala multa in terra: quia omnes consurgebant adversus Ducem & manus omnium contra eum, & manus ejus contra omnes. Ulrichus Halberstadensis rursus inferiorem vastabat Saxoniam, excommunicato Henrico principe. Qui tactus excommunicationis religione, supplex quamvis cum Episcopo rediret in gratiam, ille tamen impatiens otii & quietis, eandem quam coeperat hostilis perturbationis telam pertexere non cessavit, donec capto & exusto a Leonis militibus Halberstadio Episcopus captivus Attenburgum (veteribus *Erteneburg, Herteneburg*) ductus fuerit. Qui dum ab Henrico sedi restituitur vitam cum morte commutavit. Vide hanc in rem Cl. Dn. Præsidis Historiam Halberstadensem. §. LIV.

§. XIV. Idem quoque Philippus Coloniensis Archiepiscopus iterata vice molitus, contracto exercitu secundam expeditionem instauravit, habens in comitatu suo illos, quorum secta Rote dicitur. Facta sunt autem abominabilia multa & gravia in profectioe illa. Arnoldus d. I. At suscitatus Leo instructissimis copiis per Adolphum schovvenburgicum, Adolphi II. filium, in Vestfaliam missis hostes suos gravissima clade afficit anno clō CLXXXI. Vterius etiam progressus, adveniente Majo cum expeditione intravit Thuringiam, & exussit civitatem que dicitur *Röniges Norihausen*. Cui occurrit Ludovicus Comes provencialis cum multitudine magna, commissumque est prælium inter eos, & fugati sunt Thuringi, & Ludovicus captivatus est cum fratre suo Hermanno Palatino. Arnoldus lib. II. cap. XXX.

§. XV. Neque externis saltem vexabatur hostibus Henricus, sed etiam cum Adolpho III. Comite itineris bellicæ socio collisus est ob captivos, quos ipsi tradere Adolphus denegabat. Defecit itaque Adolphus, & Duci, apud quem profusus charitatis officiis a puero alitus, feliciæque nature pariter ac fortune incrementa sortitus, atque ad ordinem militarem summis beneficentiæ studiis proventus, tam sædam educationis sue mercedem exolvit, ut inter omnes Henriciana militiæ comites pri-

mus

mihi se defectoris nomine macularet : uti ipsum increpat Saxo Sialandicus, alias Grammatici nomine celebris, Historiæ Danicæ lib. XV. Princeps ergo Holsatiam arcesque Comitum cum militari manu invadit: sed appropinquante in Saxoniam Friderico Cæsare, cum præfecti Ducis ex metu castella Imperatori traderent, in sua se recipere eademque firmare cogitur. Celebrato itaque Luneburgi natali suo, comitem Raceburgensem Bernhardum conspirationis adversus ipsum accusatum, una cum oppido Raceburgo Lubecensium ope capit: & quoniam *Imperator totus infusus finibus Ducis in manu valida intravit terram illius & ejectionis eum de terra in propria persona Albiam transire disposuerat* (prout Arnoldus ait lib. II. cap. XXXIV.) Lubecam Civitatem reddit munitiorem. Inde Raceburgum defectione amissum recuperare annis, superveniente ex improvise Cæsare, Atlenburgum flammis consecrat Henricus, & ægre navicula Stadam elabitur.

1185. §. XVI. Tum Imperator Slavis Holsatisque auctus copiis, V. Valdemaro Daniæ Rege etiam accedente, anno c. CLXXXII. Lubecam terra marique obsidione cingit. De adventu hujus V. Valdemari Regis videatur Saxo Grammaticus lib. XV. & iudicium de ejusdem verbis in Cl. Dn. Præsidis Historia Bardevici, cap. VI. §. LIII. Satis equidem militibus, civibus, machinisque munita erat civitas, sicut Arnoldus recenset lib. II cap. XXXV. Nihilominus tamen Henricum Episcopum cives adeunt, poscentes ut ad Imperatorem egressus inducias & fidem publicam mittendis ad Henricum principem legatis petat. Quibus per Episcopum impetratis, consensu Ducis Stadæ impetrato civitatem Imperatori Friderico tradunt. Hic ut hostili urbem prosequeretur animo, tantum abfuit, ut potius data ipsi libertate, omnia Henrici Leonis confirmaret privilegia: quod ex Arnolde audiemus l. c. sic loquens: *Post aliquod autem dies burgenses reversi cum Guncelino Comite, ex præcepto Ducis civitatem in manus ejus tradiderunt. Verum priusquam ei civitatem aperuissent, exierunt ad eum, rogantes, ut libertatem civi-*
vita-

vitatis, quam a Duce prius traditam habuerant, obtinerent, &
 iustitias, quas in privilegiis scriptis habebant, secundum iura So-
 satie (quo de verbo videantur Cl. Bangerti notæ ad h. I.
 P. Lambecii Originum Hamburgensium libri I. p. Cl. Henri-
 ci Meibomii Irminulæ pag. LXXX. Gryphiantri de
 VVeichbildis Saxonis cap. LXXX. n. XVI. aliisque) & titulos,
 quos in pascuis, sylvis, fluviis possederunt, ipsius autoritate & muni-
 ficentia possiderent. Imperator vero annuit petitioni eorum, & non
 solum ista confirmavit, verum etiam quicquid a Duce de telonio ad
 stipendia canonicorum in Lubeca vel in Raceburg donatum fuerat,
 ratum iudicavit. Comiti autem Adolpho medietatem tributorum
 totius civitatis de teloniis, de molendinis, de trapezitis, in beneficio
 dedit, tum quia multum Imperio servierat, tum quia propter ipsum
 ad tempus exulaverat. Et ita ingrediens civitatem, magnifice
 susceptus est cum hymnis & canticis Dei, tripudiante clero & omni
 populo.

§. XVII. Hoc tempore recentiores Lubecæ nostræ
 Urbis Imperialis nomen accessisse statuunt, & in his Korne-
 rus Dn. Bangerto laudatus his utitur verbis: Concessit (Im-
 perator) eisdem civibus (Lubecensibus) gratiose, ut amplius
 caput essent omnium civitatum maritimarum, & quod consulatus
 eorum aurum deferre possent & eo uti ut milites: (Equites.) Li-
 gato hæc expressit sermone Aquilonipolitanus poetaster
 cap. VIII. de primordiis Lubecæ;

Amplius ut caput urbibus ista urbs esse marinis

Debeat elegit præ reliquis & eam

Aurum deferre possit senatus eorum

Concessit Cæsar (militum ad instar) herus.

Clarius auctor Chronici Slavici asserit his verbis: Frederi-
 cus I. fecit Lubecam Imperialem & quod esset caput omnium civi-
 tatum maritimarum, & quod consulares eorum aurum deferre
 possent, & quod omnes de consulatu essent in consilio Imperatoris in
 perpetuum. Assentit etiam Cel. Lambecius Originum Ham-
 burgensium lib. I. pag. LXXXII. Lubecam, inquit, quoque
 deditione cepit (Cæsar) quæ ea re inde usque ad hunc diem
 urbis Imperialis titulo gaudet.

F I N I S.
 E

Almæ

Almæ magistra est HISTORIA prudentiæ,
Quod cuncta nobis confitentur secula,
Quod Theologus fatetur, & non nomine
Consultus æqui; maxime sed patria.
Hæc caritates una cunctas continet.
M E L L E N E mactæ! annalibus qui patriis
Bene evolutis rite concinnas opus,
Sacra iuvabis Patriam Prudentia.

Bono Omine acclam.

J. O. SCHILTER D.
Consil. Aulae Saxo-Jenæ.

Dum patriam claras sublimi & divite vena,
destinat hæc ausis præmia certa Tuis.
Tu vero inde capis partem, generosa propago,
& ponis laudi stamina prima Tua.
Nos voto tantos merito mactamus honores
qui patriæ decorant culmina, Teque manent.

Benevoli affectus c. scribobs.

GEO. VVO. L. FFG. VVEDELIVS.
D. P. P. Medicus Ducal. Saxon.

Sic studio quæris volitare per ora virorum,
ingenio statuis sic monumenta Tuo.
Mactæ isthoc animo, M E L L I charissime, mactæ,
enthea vis animum flammam agitque Tuum.
Te pietas, probitas & pulchra scientia ditant,
atque Tuo virtus ore modesta sedet.
Pergito, pergendo virtus & gloria crescent,
sic Tibi surget honos, surget honos PATRIÆ.
Publicus ipse Tuum sibi vendicat usus amorem,
publicus hinc iterum Te satiabit amor.

*Egregio conatui Domini Autoris Respondentis,
Fautoris honoratissimi, Auditoris frequentis ac
astimatissimi ex sincero affectu Imque adpland.*

VALENTINUS BEZHEM
Moralium P. P. Ordin.

Cum

Cum patrio missum ludo **LVB ECA** recepit
Meque suo fovit gremio, tum summus amoris
In me fervor erat nil quidquam tale merentem
KRECHTING I. populum qui summa laude docebas
Verba Dei, & Svade præclaris dotibus Vrbi
Se commendabat. Memori sub pectore semper
Fixum servabo, mihi quod documenta dedisti
Aurea, qui possem penetrata sacra subire
Excerpendi artis, sine qua conamina quæq;
Musarum rapiunt venti nigrantibus alis.
Pro quibus ut meritis referatur gratia tanto
Doctori, toties votis precibusque poposci.
Annuit his Numen, dum Te **MELLENE**, juvenis
Præstanti & varia virtutis flore virentem
Ad nos deduxit. Jam quicquid contulit in me
Solers **KRECHTINGI** studium, pro parte virili
Quomodo compensem noctesque diesque studebo.
Et mihi quid possit contingere gratius? in Te
Eniteat claro cum **MÆCENATIS** imago
Et **PATRIS ALTERIUS**, qui Te delegit ab annis
Pluribus, & propius quam si genuisset amavit.
Nec **TE** iudicium fallat, **VIR SVMME**, nec unquam
Nostri **MELLENI TE** spes frustrabitur. Ecce
Pulchri primitias operis, quod non nisi magna
Mens potuit tentare. **DEI** Te dextra potentis
Dirigat, historia patria quo cetera possis
Semper. victuris porro committere chartis.

Meo **MELLENO** vere meo
animitus gratulor
PRÆSES.

Aonii spectata chori pars, Inclyte **MELLENE**,
Sic, Tua quò virtus Te vocat, insequere!
Est labor iste pius, patriæ monumenta referre;
Inde piis studiis det pia sata **DEUS**

Tan-

QVO Tua Castaliis pertinentia ex fontibus ora
Tandem sint patrii dulce levamen agri!

id quod ἑλοκαρδίως optat
Erudita Doctrinā & præstantissimā
virtute Politissimo Dn. à Mellen,
Amico singulariter colendo
congratulus, Halis Sax.

M. JOH. GOTTFRID. OLEARIVS
ad B. Virg. Verbi Minister.

Hunc quis non laudet? quem non de tramite recto
Eusebicus Aretesque trahit perversa malorum

Colluvies. Ecquis non demirabitur illum?

In Phœbi castris fortis qui militis instar

Perpetuo pugnat, pugnandoque tela Vacuna

Diffringit. Quis enim non complectetur amore?

Qui patriæ benefacta sua doctis benefactis

Illico compensat. Præstantem singula cerne

MELLENVM juvenem, quo non magis est pius ullus,

Quo mihi propterea non ullus charior existat.

Hic fugat Argiam noctesque diesque studendo.

Hic Sophie cum melle Dei mox flumina miscet.

Historia mox præta petit, floresque venustos

Carpit, & his Patriæ suaves affundit odores.

Suaveolens igitur semper latare Lubeca,

Et tibi de tanto nato gratare, celebrem

Qui Tibi dat vitam, quæ Te super æthera tollit

Non tantum doctis scriptis, sed & ore disertis.

Tu vero cathedram conscendens, dulcis Amice,

Qui vivam reddis, Tibi quæ vitam dedit, Urbem.

Macte labore Tuo porrò, sic phosphorus orbis

Evades, radiis splendescens semper honoris.

Hicce Præximo nec non clare docto
Dn. MELLENO accinere gratulabundus voluit,
debut.

G. H. HOPMAN
Mindà VVestphalus.



MC

WMA

